



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Regimine Ecclesiae Episcopalis In Octo Libros Distributus

Antonelli, Giovanni Carlo

Velitris, 1650

§. II. An facta locatione per triennium, si primus conductor vellet retinere rem locatam, praeferatur secundo conductori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11401

S. II.

An facta locatione per triennium, si primus conductor uellet retinere rem locatam, præferatur secundo conductori.

14 R Esp. affirmatiuè, si offerat augmentum p̄sonis, quod alter adiecit per l. congruit & l. prædia C. de locat. præd. ciuil. vel Fiscal. lib. 11. quarum legum æquitate[m] habere etiam locum in locatione rei ecclesiæ, dicit Rebuff. Cenal. & alij apud Gratian. discip. 357. nu. 42. 40. 2. neque in hoc repugnat extrau. Ambitiosa: quia in ea excipiuntur casus à iure permissi.

15 Hæc tamen conclusio limitatur primò, nisi ecclesia uelit pro se retinere, quia tunc non tenetur renouare locationem Rot. coram Greg. decis. 45. num. 3.

16 Ità etiam si rem emphiteoticam deuolutam propter lineam finitam ecclesia uelit pro se retinere, non potest cogi ad illam renouandam, seu confirmandam proximioribus agnatis, quia sicut ecclesia non posset agnatos non comprehensos in inuestitura cogere ad accipiendum inuestituram, pariter & ipsa non debet cogi ad renouandum, quando uult pro se retinere, ut seruetur equalitas Benintend. dec. 19. Clar. in S. Emphiteusis q. 44. quam opinionem sæpius sequuta fuit Rota, ut testatur Rico. in Prax. for. eccles. par. 1 ref. 127. & par. 3. ref. 159. ubi de

communi, & in Collect. decis. 56. par. 1.

17 Secus esset, si adsit consuetudo immemorabilis renouandi, quia tunc ecclesia non potest pro se retinere, sed tenetur ad renouandum, sicut ab immemorabili tempore fieri consueuit Rico. d. ref. 127. par. 1.

18 Idem dicendum, si ecclesia uellet extraneos inuestire, quia tunc Agnati admittuntur ad renouationem Benintend. d. decis. 19. Rico. d. ref. 159. par. 3. quod intellige re

19 integra, antequam aliquis extraneus fuerit de ipsa emphiteusi inuestitus; immò etiam si alius inuestitus non fuerit, si intra annum à die, quo sciuerint emphiteusim esse finitam, non petierint talem renouationem, elapso anno amplius non audiuntur Clar. in S. emphiteusis q. 44. & alij communiter.

21 Secundò limitatur, quando Conductor promisit finita locatione relinquere domum uacua[m], liberam, & expeditam, aut suo iuri expressè renunciauerit, quia tunc primus conductor non præfertur, sed tenetur rem locatam locatori statim restituere finita locatione Rot. in Romana euacuationis 2. Decembris 1615. inter selectas à Farinac. dec. 692. num. 9. & 11. prouisio enim hominis facit cessare prouisionem legis l. fin. C. de Pact. conuent. neq. tunc consideratur allegata æquitas, cum nihil tam conueniat æquitati, quàm ut pacta seruentur l. 1. ff. de Const. pec.